



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

XXXIII [i. e. XXXIV]. De Clericis qui favorem pugnantibus praestant & homicidiis sponte vel non sponte co[m]missis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

TITULUS XXXIII.

De his qui minores ordines & subdiaconatum vel duos sacros ordines simul recipiunt.

*Idem Episcopo. . . & Abbatii sancte Leucadie.*

**A**ccedens ad præsentiam nostram dilectus filius D. pauper sacerdos sua nobis insinuatione monstravit quod cùm primos quatuor ordines & subdiaconatum à bonæ memorie Exoniensi Episcopo insimul receperisset, & postmodum, eodem defuncto, à successore ipsius in Diaconum fuisse promotus, ac demum ipso defuncto, à venerabili fratre nostro Exoniensi Episcopo fuerit in Presbyterum ordinatus, quia eidem Episcopo fuit quorundam relatione suggestum ipsos præfatos quatuor ordines & subdiaconatum insimul receperisse, eum officio beneficioque privavit, licet dilectus filius P. Capellanus sanctæ Mariæ de Barrinovo in præsentia tua, frater Episcope, testimoniū perhibuerit quod tot simul idem sacerdos recepit ordines, de ordinatoris sui beneplacito processisse. Cùm igitur in hoc præfatus sacerdos dinoscatur potius ex ignorantia quam astutia deliquerisse, præsertim cùm ordinator suus eidem insimul duxerit tot ordines conferendos, & secundum Apostolum facilis consequi valeat indulgentiam quoniam ignoranter deliquerit, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus præfato Presbytero, si verum est quod proponitur, officium beneficiūque faciatis restituī, nec permittatis propter hoc à quoquam molestatione indebita fatigari.

*Idem E. Mutinensis Episcopo & magistro Vb. Theologo Subdiacono nostro Modicenſi Canonico.*

Cap. 33. de temp. ordin.

**L**iteras vestras recepimus responsivas super inordinata ordinatione A. Imolensis electi, quem G. Bononiensis Episcopus præcedenti sabbato in Diaconum, & sequenti Dominica continuato jejuno in Presbyterum ordinavit, in quo quantum uterque deliquerit, evidenter intelligit qui prudenter attendit. Si enim utrumque ordinem eodem die illi conferri non licuit, pari non licuit ratione unum ordinem uno die & alterum altero jejuno continuato conferri, cùm propter continuationem jejuni fictione canonica, sive mane diei do-

Tom. I.

minicæ trahatur ad sabbatum, sive vespere sabbati ad diem dominicam referatur, profectò mane cum vespера, seu vespéra cum mane, ad eundem diem pertinere dicetur. Nam si, quantum ad hunc necessitatē articulū pertinet, mane ad unum diem, & vespere referretur ad alterum, cur efficit continuatio jejuni necessaria, cùm & sabbato ante cœnam & dominica ante prandium intelligamus esse jejuni? Ne autem si factum hujusmodi sub silentio transiremus, id alij licitum reputantes similia facere attemptarent, & sic facti perversitas traheretur à posteris in exemplum, præfatum Bononiensem Episcopum, ut puniatur in quo deliquerit, à collatione diaconij scilicet & presbyterij, alterum vero ab executione sacerdotalis officij volumus manere suspensus, donec de ipsis aliter disponamus. Ut igitur mandatum apostolicum debitum consequatur effectum, per apostolica scripta mandamus quatenus quæ premissa sunt faciatis tam ipsis Episcopis quam per Bononiensem & Imolensem dioceses publicari.

TITULUS XXXIV.

De his qui favorem præstant pugnantibus, & homicidiis sponte vel non sponte commissis.

*Idem Nidrosiensis Archiepiscopo.*

**Q**uod in dubiis &c. Et infra. Sane lib. i. epist. 381. consuluit nos tua fraternitas quid de Presbyteris sit agendum qui gubernant naves ad pugnam, & his qui alios incitant, sed non pugnant. Ad hæc fraternitati tuæ taliter respondemus, quod quia tam sacerdotes qui gubernant naves ad pugnam, quam qui personaliter exercent pugnæ conflictum, & hi qui alios incitant ad pugnandum, enormiter peccant, de rigore canonico credimus deponendos.

*Idem Archiepiscopo & Archidiacono Senonensi.*

**E**xposuit nobis dilectus filius M. Presbyter de Stabulis quod cùm olim invitatus à quibusdam pueris de manu unius illorum arcum repperit & sagittam, & eam dirigere voluerit in arborem quæ obstabat, manu errante, sagitta eadem discurrens per aërem puerum quendam valde distantem modicum vulneravit in capite, propter quod idem puer postmodum creditur expirasse. Quod cùm idem Presbyter bona memoria G. prædecessori tuo,

FF ff

## 594 Prima collectio Decretalium

frater Archiepiscopi, sponte curasset humiliter confiteri, ipse poenitentiam & confessionem ipsius attendens, super beneficio Ecclesiae de Stabulis, quam in archidiaconatu tuo, fili Archidiacone, adeptus fuerat, misericorditer dispensavit ut ipsum quoad viveret possideret, mandans eidem ut ad sedem apostolicam accederet mandatis super officio apostolicis pariturus. Quia vero in hoc non ex voluntate, sicut assertum, sed casu deliquerit, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus si verum est quod assertur, factam cum eo misericordiam attendantes, quod a dicto Archiepiscopo factum est ratum habentes & firmum, eum super beneficio praedicto propter hoc nullatenus molestias aut patiamini ab aliis molestari.

*Idem Linconiensis Episcopo.*

Cap. 13. de hominibus.

**D**ilectus filius A. Capellanus in nostra praesentia constitutus sua nobis confessione monstravit quod cum quadam corporis molestia gravaretur, ita quod somni & cibi desiderium raptum videtur ab eo, ut comedendi appetitum aliquantulum excitaret, equum quem nutriterat ascendit; qui cum non plene pareret habenis, sed praeferre secessus arbitrium suis calcibus lasciviret, ipse, ut ejus refranaret impetum, & frano vim intulit, & equum calcaribus stimulavit, cumque fracto frano equis quasi proprio relictus arbitrio curreret festinanter, ei mulier quaedam veniens ex obliquo & infantulum bajulans obviavit; in quam equus irruens, procul projecto secessore, puerum praeditum oppressit, & Capellanus ipse ex repellente casu vix mortis periculum evitavit; sed ad ultimum convalescens, divina celebrare postmodum non presumpsit. Quia vero nobis non constituit de praemissis, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus super his inquiras diligenter veritatem, & si rem inveneris taliter processisse, cum idem Capellanus nec voluntate nec actu homicidium perpetraverit, nec dederit operam illicitae rei, non impedias quod minus divina possit officia celebrare.

*Idem Paduano Episcopo.*

Cap. 36. cod.

**S**ignificasti nobis per literas tuas quod cum H. Clericus cum Archipresbytero sancti Fidantij equitaret, equus cui insidebat tam se quam ipsum projectit in aquam. Vnde clericus ipsum graviter cal-

caribus stimulavit. Equus vero, ut literarum tuarum verbis utatur, cum extiteret bucca durus, praeter voluntatem secessus raptus in cursum & male parens habens, quandam mulierem, quam obviam habuit, ex improviso pedibus interfecit. Cumque nos ab eodem clero fecissemus inquiri utrum equi vitium prius scivisset, illud se assertum ignorasse. Ideoque fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus inquiras super his diligenter veritatem, & si rem inveneris taliter processisse, ad maiorem cautelam injungas eidem clero poenitentiam competentem; qua peracta, nequaquam impietas quod minus & in suscepis ministret ordinibus & ad majores valeat promoveri.

*Idem Metensis Episcopo.*

**E**X litteris tuae fraternitatis accepimus cap. 14. cod.

quod cum lator praesentium N. Presbyter fenum veller de currus deponere, perticam superius alligatam, cum neminem circa currum videret, projectis in terram, & cum feno insisteret deponendo, quidam prope ipsum accedens puerum quandam juxta currum reperit semivulum, in quo praeferre modicum livoris in fronte nihil invenire potuit lesionis. Nos autem ab eodem quæstivimus sacerdote si priusquam deiceret perticam, circumplexisset sollicitè an esset aliquis juxta currum, qui quod diligenter circumplexisset assertuit, sed quod vidisset aliquem denegavit. Ad te igitur remittentes eundem, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus si res ista habet, nisi contra eundem Presbyterum grave scandulum sit exortum, vel tanta laborat infamia quod deficiente accusatore oportet ei canonicam purgationem indici, ipsum liberè permittas exequi officium sacerdotis.

*Idem Oscensis & Tyrasonensis Episcopis.*

**D**iaconus & monachus sancti Iohannis de Pinna sua nobis insinuatione monstravit quod cum in seculari adhuc habitu constitutum in Ecclesia de Rigulo quoddam beneficium obtinenter Abbas ipsius Ecclesiae illum eodem beneficio supplicarunt ut beneficium restitueret memoratum; quo nolente ipsorum precibus acquiescere, irati plurimum & commoti, nocte quadam in domo Diaconi convenierunt, & cena facta dixerunt quod vindictam volebant sumere de Abbatie. Inhibiti

autem expressè à Diacono ne Abbatem occiderent vel aliquid ei facerent unde ordinis sui discrimen incurrerent & animæ detrimentum, in eum nihilominus irruerunt, & plagiis impositis abierunt semivivo relicto, unde post dies aliquot spiritum exhalavit. Ab illo autem tempore usque hodie prædictus Diaconus de eo quod contigerat tristis effectus, ab administratione cessavit, & nondum expleto biennio habitum induit monachalem. Vnde à nobis petit suppliciter edoceri utrum posset in officio Diaconi ministrare, & si hoc ei liceret, an posset ad majorem promoveri. Licet autem, si præmissa veritas suffragatur, præfatus Diaconus super Abbatis interitu non videatur fuisse culpabilis, quia tamen bonarum mentium est culpam agnoscere ubi culpa non est, quod ab administratione officij se propria voluntate suspendit vel habitum regularem [induit] sibi non ad peccatum adscribimus, sed ad meritum reputamus. Quocirca fraternitati vestra per apostolica scripta mandamus quatenus, si præmissa noveritis veritatem subnixa, sapientium Diaconum non solum in diaconatus officio ministrare sed etiam ad ordinem presbyteratus ascendere, si aliud canonicum non obstat, liberam concedatis auctoritate apostolica facultatem; præsertim si super hoc non fuerit respersus infamia, cum ei non debeat imputari quod contra prohibitionem ejus expressam, eo causam vel occasionem non dante, ausu sacrilegio proponitur à consanguineis attentatum, divina scriptura testante quod anima qua peccaverit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filii. quamvis hoc ipsum verius ad æternam quam ad temporalem referatur vindictam.

*Idem rectori, iudicibus, consulibus, & populo Beneventano.*

**C**um impunitas scelerum parere con-  
suevit audaciam delinquendi, sic malefactorum excessus animadversione sunt debita puniendi ut & ipsi poenteant de commissis, & ceteri qui audierint, suam à consimilibus metu penæ retrahant voluntatem. Licet enim ex apostolica servitutis officio sollicitudo nobis imminet generalis, de illis tamen qui spiritualiter & temporaliter nostræ sunt jurisdictioni subiecti nos oportet sollicitius cogitare; quatenus sub nostro regimine boni digna recipiant præmia meritorum, & malos debitæ

Tom. I.

ultionis pena castiget. Audivimus equidem, & non potuimus non moveri, quod G. filius R. civis Beneventani diabolico inebratus veneno, Dei & nostro timore postposito, & honore civitatis Beneventanae abjecto, I. D. S. dum consulatus fungeretur officio interfecit, & pater ac frater interfectoris, qui tam atroci sceleri personaliter interfusile dicuntur, licet in praesentia vestra se nostro juraverint conspectui praesentare, ad nos tamen, sicut credimus, non venerunt, immo tam prædictus homicida quam ipsi in civitate Beneventana non metuunt, sicut audivimus, commorari. Volentes igitur ut malefactorem prædictum & fautores ipsius debita pena percellat, & civitas Beneventana similem in posterum valeat evitare jaetram, præsentium auctoritate statuimus ut memoratus homicida de cetero Beneventanam civitatem non audeat introire, nec hereditatis paternæ percipiat aliquam portionem, immo pars ejus, si patrem præmori forte contigerit, ad opus curiae referetur, nec unquam in eadem civitate prævaleat aliquod officium gerere dignitatis, nisi forte fuerit illi concessum ex indulgentia sedis apostolicæ generali. Hoc etiam de futuris temporibus decrevimus observandum de illis qui judices, consules regales, vel alios ministeriales curiae vulnerare aut interficere qualibet temeritate præsumant. Patrem autem & fratrem homicidæ jambiæ tamdiu extra civitatem vestram præcipimus permanere donec ad præsentiam nostram accedant & ad vos cum literarum nostrarum testimonio revertantur.

#### TITULUS XXXV.

De his qui ad Ecclesiam confugiunt.

*Idem Regi Corracie.*

**I**ntra alia quæ nobis regalis prudentia suis literis intimavit, quid de illis fieri debeat qui maleficia perpetrantes confungiunt ad Ecclesiæ, ut pro reverentia loci sacri debitas penæ valeant evitare, follicite requisivit. Nos ergo tuis inquisitionibus respondentes juxta sacrorum canonum instituta & traditiones legum civilium, ita duximus in hujusmodi distinguendum, quod confugiens ad Ecclesiæ vel liber vel servus existit. Si liber, quantumcumque gravia maleficia perpetrarit, non est violenter ab Ecclesiæ extrahendus, nec inde donari debet ad mortem &

FFff ij